QUOD FELIX FORTUNATUMQUE SIT REGINAE MARIAE THERESIAE...

Faustino Gagliuffi

QUOD FELIX FORTUNATUMQUE SIT

REGINAE MARIAE THERESIAE

Edyllium

FAUSTINI GAGLIUFFI.

Edyllium

FAUSTINI GAGLIUFFI.

Vidi, namque pio nil non penetrabile vati
Esse solet, vidi secreta Regis in aula,
Sanctum ubi nocturna rutilabat lampade templum,
Marmoream binas ante aram adstare puellas.
Utraque virgineos lacrimis suffundere ocellos
Visa mihi, flexoque genu, passoque capillo
Suppliciter teneras ad caelum extollere palmas:
Pallor utrique idem. Tum, quae tria clara gerebat

Lilia lacteolo pulcre pendentia collo,
Sic prior incoepit: Deus o, qui casta benignus
Vota audis, nostrumque potes lenire dolorem,
Da tandem auxilium! Jam longo exercita morbo,
Vixque dapem libans, dubioque oppressa sopore
Nostra parens medio certe in discrimine pendet.
Qualis erat, sensi, tulimus cum debita nuper
Oscula! spem tenui simulabat conscia risu,
Quin nostro infixum traheret de pectore telum.
Nam subit illius, quod tabuit, oris imago,
Et subeunt oculi ancipites, et anhelitus aeger,
Et rauco vox rupta sono. Nos sole cadente
Vidimus insueto nutantem occurrere patrem
Saepe supercilio: nos bellica tympana nostras
Vidimus ante fores muta procedere pompa.
Omnia nos terrent; tu spes, tu sola salutis.
Quod tibi si qua hodie debetur victima, si quis
Exoritur noster Genuensi in littore luctus,
Nil moror: excipiat natam tua dextra cadentem,

Sitque meum pro matre caput; soror Anna supersit.
Non ita: me potius, subito altera concita motu
Indoluit virgo, me me rape protinus, adsum.
Te duce, jam faustis socianda Theresia vinclis,
Non ego; et innuptae facilis jactura puellae.
Hoc unum moritura precor, mea lumina claudant,
Atque animam e terris supera ad convexa volantem
Concordes videant manifesta in luce parentes,
Exuviasque ornent violis, alboque ligustro.
Talia lugebant, velut olim tempore verno
Inter populeas suavissima carmina frondes
Exercent geminae pura sub nocte volucres;
Non auster, non unda strepit: placida astra renident,
Attonitusque inhiat vicino e colle viator.
At vero involvens trepidantem leniter aram
Formosa insedit nubes, et caerulus inde
Erupit radius, voxque exaudita per auras.
Jamdudum vestris, dulces, mea cura, gemellae,
Satque, superque datum lacrimis. Huc aethere mittor

Ex alto, ut quae sit, pandam, divina voluntas.
Vivite. Namque etsi flammanti cervus in arvo
Non tantum egelidos suspiret languidus amnes,
Quantum inter miserae fugientia gaudia vitae
Vos decet aeternae sedem exoptare quietis;
Ante tamen vobis longum, vestraeque parenti
Calcandum virtutis iter, quam tangere metam,
Et mecum aetheriis liceat requiescere in oris.
Quocum regnavi, vestrum genus ipsa tuebor.
Tune ergo, unanimi gemuerunt voce sorores,
Tune ades, o Sardae decus immortale coronae,
Inclyta Clotilde? cur te, sanctissima, nostro
Subtrahis adspectu? propera, et solare precantes.
Este agedum, rursus radianti e nube locuta est
Umbra ingens, vos este hilares; nec vana cupido
Mortali capiat tectos caligine visus.
Unde abii, revocor. Vos, cum materna patescent
Limina, Reginam memores salvere jubete.
Prosiliat, justumque Deo persolvat honorem.

Assiduas amet illa suo cum conjuge curas
Partiri, et vobis adsurgentique sorori
Prospera, quae late niteant, intexere serta,
Ingenioque alacri, quidquid sapientia suadet,
Rite agere, et misereri inopum non digna ferentum.
Haec ubi dicta, novis sonuit concentibus aether,
Et commota novo resonarunt littora plausu.

GENUAE, A. MDCCCXVIIII,
TYPIS PAGANIANIS.